

per diversa significet, censuit Ecclesia, permittere, ut varie dici possent, et in quocumque idiomate.

§. IV. Postea eos aspergit Aqua benedicta.

44 Hic quoque suam virtutem ostendit Aqua benedicta, de qua plures loquuti sumus, et iterum mentionem faciemus suo loco in explicando *Ordine faciendi Aquam benedictam*. In hoc casu sanctificat illa verba, corroborat contractum, et gratiam concordiae, et fidelitatis instillat, Quartus, *de Benedictis* 205. et 46.

§. V. Mox benedicat Anulum. Benedictio Anuli: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.*

45 46 47 48 49 Anulum dari Sponsae propter mutuae dilectionis signum, vel ut aliquo pignore, idest signo, eorum corda jungantur, et in quarto digito manus inferatur, quia in eo vena quaedam sanguinis ad cor usque perveniat, et hoc pariter in Amoris signum, testatur Rubeus in Rational. l. 1. c. 27. Atque ex ipsa Oratione ab Ecclesia in benedicendo Anulo exhibita satis, et aperte eruitur. Est vero unus tantum, ut ostendatur amoris singularitas, quia etsi in omnibus Homo amicitiam velit, in Uxor's amore tamen nulla debet esse. Estque rotundus in signum, quod nunquam habere debet finem, nisi post mortem. Idem Rubeus et Corsett. quod melius explicat Nevizzan. *Sylv. nupt. l. 3. num. 13.* inquiens: In cuius dilectionis signum in desponsatione utuntur Anulo, quia ejus rotunditas, quae est infinita, designat, Amorem Conjugum debere esse infinitum, quod ex S. Isidoro decerptum duco, lib. de Ecel. Off. c. 19. ubi verba habentur: *Illud vero, quod in primis Anulus a Sponso Sponsae datur, sit hoc nimirum vel propter mutuae fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.*

50 Quod antiquissimi ritus esse tum apud Hebraeos, tum apud Gentiles, et deinde apud Christianos habemus ex relatis a Kirchmanno in aureo ejus Opusculo de Anulis, cap. 18. per tot. et a Jo: Baptista Lauro Perusino, in suo Commentario de Anulo, pronubo Deiparae Virginis, de quo infra.

51 Benedicitur itaque hic Anulus, et haec benedictio operatur per modum intercessionis: ut Sponsi vera, et sincera dilectione se mutuo prosequantur, et fidelitatem sibi invicem

servent, Quart. de Praelud. 3. num. 294. Anulum enim esse amoris, et fidei Symbolum, testatur Philipp. Ferrarius in *Parraenesi ad Laurum*, pag. 120.

52 Insuper benedicitur Anulus (hac constanti scriptura utor, *Anulum* cum unica n. scribendi, non vero cum dupli, *Annulum*, ex fideli, et collationata orthographia adhibita a celeberrimo Jacobo Facciolato in pub. Patavii liceao professore, et latinae linguae optimo restituente, amicoque meo praestantissimo, in ejus Recensione Magni Dictionarii Ambrosii Calepini, verbo *Anulus*.) Benedicitur, inquam, Anulus ut omnis fascinatio a Connubio amoveatur; nam in Anulis, Magi, et Striges multas Diabolicas incantationes ad connubia infestanda solent insculpere, et infundere, ut bene notat del Rio: *disq. Magic. l. 1. cap. 4. q. 1. num. 3.* et S. Carolus, *Prov. 1. p. 1.* Ideoque cum Signum Crucis, Benedictio Sacerdotalis, et Aqua benedicta valeat ad effugandos Daemones, optime statuit Ecclesia, ad pacem in connubiis servandam, hanc Anuli Benedictiōnē instituere, et praescribere, per quam Anulus ab omni Diabolica fraude purificetur.

53 Quaestio esse potest, utrum Anulus pronubus, seu Matrimonialis, debeat ex auro esse, vel ex quo metallo, seu alia materia? Circa quod cum nihil Rubrica praescribat, servandam esse duco consuetudinem loci, et habendam esse rationem ad Sponsi facultates. Si enim inter pauperes, et miserabiles personas contrahatur Matrimonium, apud quas Aurum de raro hospitatur, onus illis imponendum non est, ut dotem Anulo superent: propterea sufficiet, et pro summa erit si argenteus afferatur Anulus, et sine gemma, vel ad plus, vitreolapillo.

Hinc ut omnis suspicio arceatur, non laudo Anulos gemmatos cum imagine in gemma sculpta, quacumque Imago sit vel sacra, vel profana; nec etiam pro Connubio Anulos in Crucifixi forma, certe inter Pythagorae symbola illud habetur *In Anulo ne Dei gestes imaginem*. Circa quod vide adnotata per Franciscum Berni moralitat. arcana symb. 24.

54 Certum est, ex Nevizzan. d. l. 3. num. 3. quod primus Anulus qui ad hoc fuit electus, erat ferreus, cum uno Adamante, ad designandum, quod sicut Adamas retrahit ferrum a magnete, ita Vir retrahit amorem Uxor's a Patre. Tertullianus de Idol. cap. 12. licet eum ferreum vocet, tamen sine gemma fuisse asserit. Sed in Apolog. cap. 6. non obscure aureum fuisse scribit; atque ita Isidorus l. 20. Etymolog. quos refert predictus Kirchmann. c. 18.

55 Exemplum habemus de Anulo pronubo argenteo, in illo quo despontata fuit S. Anna Mater Virginis Deiparae a S. Joachino, quem describit, argenteum fuisse, et rudem cum Crys. Com.—P. 30.

tallina gemmula, Marchantius *Tract. 7. Candelabri mystici, lect. 4.* quem refert Clericat. de *Sacramento Matrim. decis.* 16. n. 42.

56 57 58 59 Item Anulum Sponsalitium habemus ipsius Sacratissimae Virginis Mariae Matris Dei, qui summa religione servatur Perusiae in S. Laurentii. Ex qua materia iste sit, se non dignoscere testatur Bagatta *T. 1. Admirand. Orb. Christ. l. 5. cap. 3. num. 1.* Alii ex Onyce, alii ex Sardoniche, alii demum ex Chalcedonio volunt; sed communis opinio a Lauro in suo *Commentario allata pag. 12.* est, quod ex Amethysto confectus sit: Gemma quippe est sculptu facilis, neque ita praestans, et in ea Arabiae perte gignitur, quae finitima Syriae, Petraea vocatur, estque Indica Amethysto vilior, et magis obvia.

Caeterum ex quocumque Metallo, et pretioso Lapide Anulos in usu fuisse oinnes antiquarum rerum Scriptores testantur, quorum nonnullos antiqui operis ex aere, aliasque ex Achate in suo *Cemelio* servat Nicolaus Barufaldus Pater meus Dilectissimus. Ex quo inferri potest, nullam materiam definitam, seu limitatam fuisse, nec esse ad conficiendos Anulos sponsalitios inter Christianos.

§. VI. Deinde Sacerdos aspergat Anulum Aqua benedicta in modum Crucis; et Sponsus acceptum Anulum, de manu Sacerdotis, imponit in digito anulari, sinistram manus Sponsae, Sacerdote dicente: *In nomine Patris, etc.* Mox subjugat: *Confirmata, etc.*

60 61 Non ex Pelvi, seu ex alio loco accipere debet Sponsus ex se Anulum, sed de manu Sacerdotis, qui Sponso debet eum tradere, ut demonstretur authoritas Ecclesiae, in cuius tantum potestate sunt Sacraenta: Quamvis enim ista Anuli caeremonia non sit Sacramentum, tamen est unum Sacramentale, quod Sacramento cohaeret, et Sacramentum integrat in desponsationis argumentum, Navaeus *Catch. de Sacr. Institut. ser. 15.*

62 63 64 Digitus Anularis observandus est in traditione Anuli, et sinistra manus. In utraque manu gestati fuerunt Anuli: In dextera apparet ex Jeremiae c. 22. v. 24. dum dicit: *Etiamsi esset Jechonias filius Joakim, Regis Juda, Anulus signatorius in manu dextera mea, inde evellam eum.* Sed postquam Anulis additae fuerunt Gemmae, sinistra potissimum manus ad eos gestandos assignata fuit, de quo multa testimonia affert Kirchman d. c. 4. praecipue Tertullianum de hab.

muliebr. c. ult. ubi: *Graciles aurum cutes Kalendarium expendunt, et sinistra per singulos digitos de Saccis singulis ludit.*

65 Ratio autem, cur in sinistra potissimum ferantur Anuli, duplex ab eodem Kirchmanno d. l. assignatur. Una est, quod laeva sit otiosior quam dextera, cuius officium fuisset, non solum ab Anulorum gestatione impeditum, sed et ipsi Anuli crebro motu, facile potuissent laedi. Altera est, quod haec manus plerumque lateat, nec se tam crebro oculis hominum ingrat. Cum enim qui primo Anulos invenerunt propter rei novitatem, et insolentiam, in propatulo eas gestate erubescerent, sinistram tanquam magis latenti Anulos dederunt, ne si eos aperte gestarent, kansuram aliorum incurrerent, ut ex Plinio l. 33. c. 1. quod et a Kirchmanno confirmatur.

66 Sed ne mysterium in re notissima, et obvia fingamus, ego tertiam, et tutiorem rationem supperaddam. Anulus in sinistra manu collocatur, ex eo quia dextera est magis apta ad illum digito imponendum, et a digito eruendum, ob ejus agilitatem, et dexteritatem, qua pene omnia manu dextera operantur. Sinistra manus autem ut plurimum auxiliatrix est, et de se parum valet; videturque in plerisque (qui scaevae non sint) quod fere inutilis sit. Qua propter si dextera est accipiendus Anulus, non potest fieri quin in sinistra collocetur. Igitur textus noster naturalem, et commodiorem usum sequutus est, sinistram pro Anulo pronubo praescribendo, et dexteram pro Anulo dignitatis in Personis Ecclesiasticis, et praecipue Episcopis: *Caeremoniale episc. l. 1. c. 7. Gavant. Manual Verbo Anulus, et Nicol. Floscul.*

67 Digitur Anularis ille est, qui minimo proximus habetur, de quo A. Gellius l. 10. c. 10. inquit: *Repertum est, nervum quemdam tenuissimum, ab eo uno digito, ad cor hominis pergere, ac pervenire. Propterea non inscitum visum est, eum potissimum digitum tale honore decorandum, qui continens, et quasi conexus esse cum principatu cordis videretur.* Alii non nervum, sed Venam dicunt, inter quos S. Carol. *Act. 4. de Matr.*

68 Cur vero Sponsus imponat Anulum digito Sponsae, et non haec illi, cum mutua debeat esse fides, et concordia, non ex alio evenire potest, nisi quia foemina sit subdita Viro, Nevizzan. *dict. l. 4. Vinculum tamen commune est, et ambos aequaliter ligat: Sed cum ab Ecclesia in Oratione illa Benedictionis anuli quae incipit: Benedic Domine, etc. de Foemina tantum loquatur, quae eum gestaverit, et de fidelitate ab ea servanda, videtur, quod magis de Mulieris fide dubitet, quam de fide Mariti, et eam pronam magis ad declinandum, atque ad fidem frangendam faciliorem timeat, ob imperfectiorem natum.*

§. VII. His expletis, si bededicenda sint Nuptiae, Parochus Missam pro Sponso, et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quae ibi praescribuntur.

69 70 Quandoque post contractum Matrimonium differunt Nuptiarum Benedictiones ad tempus magis opportunum: Hoc intermedio temporis durante, Sacrum Concil. Trident. d. l. c. 1. hortatur, ut Conjuges in eadem domo non habitent ante Benedictionem. Secluso tamen scandalum, et contemptu legis Ecclesiasticae, eo et magis si probabile sit incontinentiae periculum, peccatum mortale non erit Matrimonium consummare ante hujusmodi Benedictionem. Ita resolvit Barbosa *de pot.* Par. p. 2. c. 21. n. 95. 96. cum decem aliis Doctoribus.

71 72 Verum tamen est, quod ista Benedictio cadit sub pracepto, atque ideo obligantur Sponsi eam recipere; c. nostrates 3. q. 5. et ex Concil. Carth. 4. c. 13. Sed haec obligatio non est sub peccato mortali: quare illam negligere, secluso contemptu, non excedit culpam venialem; non enim est ad essentiam, neque ad integratatem Sacramenti, Quart. de *Benedictionibus*, Praelud. 3. dub. 1. num. 295.

73 64 Si de jure haec Benedictio debet fieri a proprio Parocho, Trid. sess. 24. de matr. c. 1. (nisi ab Ordinario, vel a Parocho, alteri Sacerdoti data sit facultas benedicendi) sequitur quod ad ipso Parocho celebranda sit Missa pro Sponsis, in qua adsunt praescriptae Orationes.) De ista Missa nihil dicere statuo, cum sufficienter super ea scripserint Gavantus, et alii insignes Doctores, de Sacrificio Missae tractantes.

§. VIII. Caeterum, si quae Provinciae aliis, ultra predictas, laudabilibus consuetudinibus, et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri.

75 Adeo variae, et diversae inter se sunt caeremoniae, et consuetudines in toto Orbe Catholico, circa celebrandum Matrimonium, ut plures Authores in istis moribus colligendis non parum insudaverint. Praeter id quod doctissime scripserunt Tiraquellus, Nevizzanus, Brissonius, Stuckius, Tertullianus, Madius, Rhodiginus, Lanzonus, et alii, sive ex professo, sive incidenter, extat praecipuus liber Italico idiomate inscriptus: *Cerimonie Nuziali di tutte le Nazioni del Mondo, Venet.*

1685. in 12. ubi quidquid desiderari potest circa Nuptias, et earum ritus, habetur.

76 77 78 Quare et hoc cognovit Ecclesia Catholica, ut textus noster clare demonstrat. Cumque delere introductas, et per longa saecula approbatas caeremonias, impossibile judicaverit, illas quodammodo retineri laudavit, optavitque, dummodo sint vere laudabiles, et merae consuetudines, non autem Ritus Sacralementales, Sacramentum deformantes. Quare S. Carolus, Act. 4. in *Instruct. Matr.* damnavit omnem rem depravato usu introductam profanamve in Sancta Matrimonii celebritate; ut olim fuit bibendi, cyathive frangendi corruptela, et similia. Ista, et alia deformia, gentilitatemve redolentia Ecclesia non approbat. Caetera vero quae circa caeremonias laudabilia sunt, optat retineri, in rebus, quae substantiam Sacramenti non laedunt, nec pietatem offendunt.

§. IX. Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in Libro Matrimoniorum nomina Conjugum, et Testium, et alia juxta formulam praescriptam; idque licet alias Sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus Matrimonium celebraverit.

79 80 81 Opus est, ut in hoc, quod a Rubrica praescribitur, Parochus sit diligentissimus, nec parcat labori, nullique committat hoc opus, sed ipse illud impleat manu propria. Hunc Librum apud se indispensabiliter habere debet propter finem necessarium vitandi lites. Unde jure novissimo, mortuis testibus et Parocho, solo hoc libro, absque aliis probationibus Matrimonium plene probari dicendum est, quia in hoc Paroхи fides, et industria fuit electa a Concilio, Bellet. de *Cler. teste*, §. 1. n. 9. Barbos. *de Pot. Ep. p. 2. all. 32. num. 175. Rota dec. 750. num. 1. p. 1. recent.*

82 Quod si Parochus Matrimonium contractum in Libro non describet, peccabit mortaliter, Rota dec. 233. n. 11. p. 10. dec. 445. Donucc. jun. decis. 896. n. 3. Monacell. T. 1. tit. 10. for. 8. n. 7. Sed alia, et majora dicemus in fine hujus Operis, tunc cum *Formulas scribendi in Libris habendis apud Parochum, explicabimus.*

- 34 Quare mulier de novo aspergatur Aqua Benedicta?
35 Psalmi XXIII. recitandi significatio.

DE
BENEDICTIONE MULIERIS
POST PARTUM.

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM

- 1 Benedictio haec instituta est ab Ecclesia.
- 2 Habet connexionem cum Sacramento Matrimonii.
- 3 Partus est fructus Matrimonii.
- 4 Benedictio haec est de consilio, non de praecepto.
- 5 Verba hortatoria non obligant, etiam si essent verba Concilii.
- 6 Benedictio haec est antiquae originis.
- 7 Originem trahit a Veteri Testamento.
- 8 Maria virgo voluit implere hanc legem.
- 9 Mulieres Christianae hoc faciunt ad ejus imitationem.
- 10 Hoc fit quadragesimo die post partum.
- 11 Potest etiam anticipari, vel posticipari.
- 12 Haec Benedictio habet suam materiam, et suam formulam.
- 13 Causa finalis hujus Benedictionis.
- 14 An Puerpera ipsa sola, vel cum Prole accedere debeat.
- 15 Proles non benedicuntur.
- 16 Fructus spirituales hujus Benedictionis.
- 17 An Puerperae possint sine hac Benedictione accedere ad Ecclesiam?
- 18 An benedictio haec fieri possit a solo Parocho.
- 19 An impetrari possit in sola Ecclesia Parochiali?
- 20 Potest dari in quavis Ecclesia, et a quovis Sacerdote.
- 21 Sacra Rit. Congr. resolut in Contrarium.
- 22 Stola debet esse albi coloris.
- 23 Quare Puerpera genuflectat ad limen Ecclesiae?
- 24 Sistere non debet ad Portam Sacrariae.
- 25 Candela accensa quare deferatur a puerpera?
- 26 Candela an pertineat ad Benedicentem?
- 27 Oblationes aliae, quae in hac Benedictione solent fieri.
- 28 Aqua benedicta quare adhibetur?
- 29 Stola quare porrigitur Puerperae?
- 30 Pars sinistra est porrigenda.
- 31 Mulier genuflectit, Sacerdos stat.
- 32 Altare ad quod se sistere debet Puerpera.
- 33 Oratio facienda ad libitum Mulieris Puerperae.

1 2 3 Quamvis haec sit una ex Benedictionibus institutis ab Ecclesia, attamen in Rituali extra numerum Benedictionum ponitur, nulla prius data regula generali de modo tenendo in ea impertienda. Ratio est, quia cum haec aliquam connexionem habeat cum Sacramento Matrimonii, cuius fructus est Partus creaturae, satius duxit eam collocare immediate post Matrimonium, ut ita facilius ad manus accurrat Parochi tunc quando opus sit illam adhibere: atque ita extra numerum, sive extra Rubricas ad Benedictiones spectantes remansit. Rubrica itaque est.

§. I. Si qua Puerpera post partum, juxta piam, ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratia actura, petieritque a Sacerdote Benedictionem, ipse Superpelliceo, et Stola alba induitus, cum Ministro Aspergillum deferente, ad fores Ecclesiae accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, Aqua benedicta aspergat, deinde dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.*

4 5 Haec Benedictio de consilio est, non de praecepto; per illa verba: *venire voluerit*, quae cum non praecipient, sed hortentur, liberam voluntatem excitant, sed non obligant, c. ult. in fine 4. dist. gloss. verb. statuta in cap. 1. ubi Abb. n. 9. et Felin. n. 20. de constit. etiamsi essent verba Concilii, quia concilii natura est, ut quamvis excitet ad deliberandum, non tamen obliget ad sequendum; ut multis citatis probatur in libello de principiis utriusque Juris, litt. c. num. 50. Hinc est, quod S. Carolus Concil. prov. 1. p. 2. non aliud dicit, nisi, quod Parochi moneant Puerperas, ut cum primum, post partum, dominum exierint, mox ad Ecclesiam Deo gratias acturae accendant, ubi Benedictionem a Parocho suscipiant.

6 7 Consuetudinem hanc antiquae originis esse in Ecclesia, testatur Quart, de Benedictionibus, num. 298. sect. 12. Praejud. 1. afferens c. unicum, de Purific. post Partum, et dist. 5. c. si mulier. A lege veteri antiqui Testimenti originem trahaere satis patet ex Levitico, cap. 12. ubi praecipitur